



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Triapostolatvs Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

14. De curâ pauperum & eleëmosynis S. Rimberti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

*fortè, sa- semper illi essent cotidiana iejunia, & refe-  
turitatem.* Etio sanitatem fugiens. In quo videlicet hoc  
attendebat, ut iuxta Beatum Hieronymum  
ita corporis frangeret appetitum, vt tamen  
ad lectiones & Psalmodiam atque ad Alta-  
ris ac Pontificatus sui officium, vires ei non  
deficerent. Nihil enim prodest, vt ait idem  
Hieronymus, biduo triduoque vacuum por-  
tare ventrem, si pariter obruatur, si compense-  
*Vsuum  
ieiuniorum  
vitium:*  
tur saturitate iejunium: Ilico enim mens re-  
pleta torpescit, & irrigata humus spinas libi-  
dinum generat. Quod vir Dei, vt diximus,  
in se cauere volens, moderamen iejunij ita  
custodiuit, vt Dominus in Euangeliō Iudeos  
arguens, quod nec Iohannem ieunantem,  
nec ipsum manducantem & bibentem susci-  
perent, subiecit dicens: Et iustificata est sa-  
pientia à filijs suis: ostendens per hoc filios  
sapientiae intelligere, nec in abstinentia nec  
in manducando esse iustitiam, sed in æqua-  
nimitate tolerandi inopiam, & temperan-  
tiam per abundantiam non se corrumpendi,  
atque opportunè sumendi vel non sumendi  
ea, quorum non usus, sed concupiscentia  
reprehendenda est.

## CAPVT XIV.

*De curâ pauperum & eleemosynis S. Rimberti.*

**Q**VIA VERÒ ETIAM AD USUS & SUSTENTATIO-  
NES PAUPERUM, BEATÆ MEMORIÆ DECES-  
SOR SUUS INSTITUTUM HABEBAT, IN NULLO HOC  
IPSE DIS-

ipse disiecit, sed omnem curam & diligen-  
tiam adhibebat, vt omnia ad id statuta nul-  
lum suis temporibus caperent detrimentum;  
sed potius suo cotidie studio his aliquid ad-  
deretur. Erat enim pro indigentium leuami-  
ne Hospitale constitutum in Episcopatu eius  
ad quod tanta subsidiorum sufficientia de-  
putata est, vt nusquam copiosius vel sapien-  
tius hoc ipsum procuratum esse sciamus. Sed  
& extra Episcopatum, vbi cunque fuisset,  
semper constitutos habebat, qui pecuniam  
in saccellis ad dandum pauperibus gestarent.  
ipseque ad hoc ipsum in zona sua marsupio  
cum nummis semper vtebatur, vt si quando  
dispensator eleemosynæ suæ in aduentu e-  
gentis deesset, ipse sine mora haberet quod  
daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis ta-  
lium à se sine leuamine abscederet, suisque  
similia iugiter adhortationem faciens, dice-  
re solebat: Non tardandum est vt cunctis  
pauperibus succurramus, quia quis sit Chri-  
stus vel quando ad nos veniat ignoramus.

## CAP V T XV.

Diligentia eius & assiduitas in praedicando  
verbum Dei.

In terra iuxta ammonitionem Beati Gre-  
gorij, etiam eleemosynam verbi incessan-  
ter agens, doctrinæ salutaris studio iugiter  
instabat, recolens quod idem ait Doctor:  
Plus esse vt Verbi paulo victura, in perpe-

K 4

tuum mens